Programm,

wodurch zu der für

Mittwoch, Donnerstag und Sonnabend, den 16. 17. und 19. August,

im Königlichen

Gymnasium zu Sagan

festgesetzten

öffentlichen Prüfung, Redeübung und Versetzung

der Schüler aller Klassen

ergebenst einladet

Dr. Flögel,

Rektor, Ritter des rothen Adlerordens IV. Klasse.

Inhalt:

Sagan, 1848.
Druck von P. H. Raabe & Sohn.

Observationes criticae in primum Ciceronis librum de re publica. P. I.

Scripsit

W. C. Kayser,

Ph. Dr., Sup. Ord. Praec., Societatis Latinae Jenens. Sodal.

Quum libri Ciceronis, quibus philosophiam Graecorum Latine illustravit, non solum ubertate rerum, sed etiam sermonis elegantia eorum, qui legunt, animos mirifice tenere ac delectare possint, tum insignem et doctrinae copiam et splendorem verborum in illo opere miramur, quo naturam rei publicae persecutus est. Habet enim illam a Graecis doctoribus, quorum si non plurimi, tamen multi eadem de re scripserunt. Qui si reliquis in artibus, quibus operam dederunt, miram quandam rerum omnium cognitionem ac divinum ingenium praestiterunt, civilem doctrinam usque adeo coluerunt, ut qui partem ejus nunc tradant, praecepta eorum aut repetere plane aut imitari saltem videantur. Quod qui factum sit, mirari non licet. Namque in toto terrarum orbe nullus unquam populus fuit, in quo tot civitates suas quaeque leges atque instituta habuerint, quot olim in Graecia floruerunt, Asia, Italia, Sicilia aliisque terris, in quas colonos Graeci deduxerant. Atque in plerisque earum deinceps illam mutationem factam videmus, qua, regno sublato, primum optimates acceperunt imperium, quod nonnunquam in paucorum degeneravit dominationem, dein omnis potestas in populum translata est, donec is tanta sibi indulsit impotentia, ut ex maxima rerum perturbatione tyrannis oriretur. Erant vero civitates non paucae, quae summam rerum partim regi concessissent, partim nobilibus reliquissent, partim ita populo tribuissent, ut et gradus essent dignitatis nec libertatis quisquam expers haberetur. Quae quidem conversiones rerum publicarum cum eodem nec modo fierent neque tempore, Graeci singula civitatium genera inter se facillime comparare potuerunt, quotiescunque earum naturam perspicere ac laudes et vitia intelligere sunt conati. Accessit, quod non solum mercatores eorum ad omnes barbarorum gentes commearunt, quae habebant aliquam rei publicae formam, sed alii etiam terras alienas atque remotas petiverunt, in quibus animos studiis vel erudire vel etiam delectare possent. In quibus itineribus mores atque instituta incolarum summa industria cognoscebant. Itaque omnes Graeci, doctrina civili paullatim eruditi, mature de rebus publicis prudentius judicarunt, quam sapientissimi nunc hominum nostrorum facere solent, ne reliquos commemoremus, in quibus nescias levitatem magis an impudentem stultitiam mirere, qua de statu civitatis aut in angulis personent aut publice audeant declamare. Docti vero, cum in civitatium naturam inquirerent, in quacunque disputationis parte tantam varietatem exemplorum habebant et copiam, quanta post nusquam est terrarum suppeditata. Namque illa civitas, quam Plato arbitratu suo exstruere nec ad vitae similitudinem adducere voluit, egregia hujus usus ostendit indicia, quo homines, rebus publicis administrandis dediti, saepius, quam principes philosophorum excellere solent. Aristoteles autem instituta centum quinquaginta octo urbium singulari libro descripsit (Diogen. Laërt. V. 1, 27); idem alio scripto varia civitatium genera illustravit, ibid. Quae cum singula diligenter cognovisset, de hac arte disputans neque ullum

formarum rei publicae genus praetermisit et omnia genera recte definiit atque conjunxit. Idem non solum vidit, quomodo ex aliis eorum alia necessario sequerentur, sed etiam vitia et laudes, quae in singulis inessent, ac vicissitudines perspexit, quibus ex unaquaque civitatium specie paullatim alia oriretur, sive haec similis sive contraria ac naturali quodam et lubrico itinere cum illa conjuncta esset. Incredibilis vero prudentia et copia doctrinae in libro conspicua est, quem Aristoteles de re publica scriptum nobis reliquit. Quem quidem magistrum alii secuti fuerunt ejusdem artis scriptores; sed id, quod literis mandarunt, hodie non exstat. Unum Polybii scriptum servarunt, qui in sexto historiarum libro, priusquam de Romanorum re publica exponeret, omni de re pauca quaedam ex illa philosophorum disciplina delibavit, quae apud Platonem et Aristotelem accuratius et copiosius disputata legimus.

Sunt autem hi fere, a quibus Cicero doctrinam accepit, quam hoc in libro invenimus. Nam Platonem imitatus est, Aristotelem semper ante oculos habuit, Polybium expressit. Qui quidem cum caussam, cur Romani ceteris gentibus praecellerent, in rei publicae eorum natura sitam putasset, hoc totius disputationis caput esse voluit, ut id Scipio rationibus confirmaret. Perfectum igitur civem, qui patriae optime consuleret, eum instituit, qui, altero bello Punico finito, cum res Romanorum maxime floreret, plurimi ab his haberi potuisse videretur. Quo modo tametsi vestigiis Graecorum institit, tamen nonnihil cum iis non habuit commune. Cum studiis enim doctrinae, quibus a puero plurimum operae navaverat, civilem ac forensem usum conjunxit, quo doctores illi plane caruerant vel parum praestiterant. Namque ut saepe in judiciis atque concionibus est versatus, sic summos honores, quos assequi potuit, in patria capessivit. Tum vero rei publicae praefuit, cum, toto fere terrarum orbe subacto, civitas Romanorum in tantum rerum omnium certamen atque discrimen incidisset, ut jam nec mala sustinere neque remedia eorum ferre posset. In qua vita quantum assequi potuit rerum maximarum usum! — Orationis autem genus, quo hoc nos opus delectat, proxime ad illam vim atque ornatum accedit, quo libros de oratore conscripsit.

Quapropter fragmenta, quae Majus edidit, diligenter recognoscere atque in judicium vocare coepi, ut non tantum menda, quibus a librariis essent vel criticis depravata, ex iis tollere, verum id etiam ostendere possem, quid Cicero ex Graecorum fontibus hausisset, quid ipse addidisset, quomodo inventa philosophorum, quos imitari videretur, mutasset, quam rationem quodque consilium toto opere describendo videretur persecutus. Namque hoc scriptum ab illo tempore, quo docti homines id paullo ante inventum certatim correxerant, etsi diu vel plane neglectum vel tam integrum habitum est, ut nihil, quod corrigeretur, reliquum esset, tamen in illud dicendi genus, quod Ciceronis proprium fuit, tot viri in Germania, Batavia, Dania tanta doctrinae copia et ingenii vi inquisiverunt, ut hi quoque libri debeant ad eorum praecepta emendari. Quod negotium nuper Osannus non plane absolvit.

Quo consilio cum de librorum correctione plurima copiosius conscripsissem, hic pauca proponere volui. Quae ut modum ac rationem commentariorum non servant, sic ad locos grammaticae Latinae pertinent, de quibus docti quid judicare deberent, sibi nondum omnes persuaserunt.

Quomodo inscriptum hoc opus in codice fuerit, ex verbis apparet, quibus finis secundi libri indicatur:

M. Tulli Ciceronis
De Re Publica
Liber II Explicit.

Hoc igitur primum genitivi exemplum substantivorum habemus, in syllabas ius et ium cadentium, quem Bentlejus ad Terent Andr. II, 1, 20; III, 2, 38 cum omnium scriptorum, qui paullo ante Augusti mortem vixerint, tum Ciceronis in usu solum fuisse docet. Quam sententiam multi et interpretes (Ruhnken. ad Terent. Andr. I, 1, 17; Heusing. ad Cic. de Off. II, 16; Heindorf. ad Horat. Sat. I, 105; Huschk. ad Tibull. IV, 10, 4) et grammatici (Zumpt. c. 11. §. 49; Krebs. Antib. pg. 19; Reisig *Vorlesungen* §. 57 c. not. Haas.; Madvig. Gram. Lat. §. 37 not. 1.) probarunt. Alii vero de Cicerone ita bene mereri voluerunt, ut omnibus locis ei hanc formam restituerent, quam in plurimis atque optimis libris invenissent. In hoc numero Beierus, Klotzius, Ellendtius *), Madvigius, alii viri nobilissimi haberi debent. Fuerunt autem, qui rem cautius agendam esse viderent, ut Heinrichius ad h. l., Mueller. Praefat. ad Varron. de Ling. Latin. pg. XXVII. in edit. Paris. Egger.; Schneider *Formenl.* pg. 59. Krueger T. I. pg. 186., Kühner Lat. Gr. pg. 19, not. 4, propterea quod neutra forma a superioris illius aetatis usu plane abhorruisset. Ac Bentlejus quidem invenit nonnihil, quod antea critici non satis animadverterant; rem vero, de qua praecepit, ipse nec recte explicavit nec circumspectione et accurata consideratione assecutus est. Quid est enim, quod nullam dicat in illis formis inveniri contractionem, nisi hanc non tam a singulis scriptoribus factam, quam toto linguae usu confirmatam putavit? Quis dubitet, quin genitivi horum nominum primo exitum in ii habuerint? Aliter res se habere nequit. Quod si verum est, quomodo una vocalis e duabus

---

*) Etsi is ad Cic. de Orat. I, 9 ubique hanc normam tenendam esse non opinatur.

gignitur, nisi contractione id fieri censemus? At is ita rem explicat, quasi producta syllaba in duas soluta sit breves. Si hoc vere existimavit, praeceptum ignoravit, de quo omnes grammatici consentiunt, geminatas fuisse prius vocales, quam contractae longas syllabas effecissent. (Grimm *Deutsche Grammat.* T. I, pg. 32; Schmitthenner *Ursprachlehre* §. 26; Rinne *Die deutsche Grammatik Bd.* 2, *Absch.* 1, 3.) Romanis autem ea linguae fuit natura, ut neque hiatum ferrent neque vocales in diphthongos facile paterentur coalescere. Itaque ubi duae concurrerant, eas in unam syllabam ita conjunxerunt, ut prior, altera recepta, produceretur auribusque sola perciperetur. Benary *Römische Lautlehre* pg. 90, 95. Ex duabus igitur vocalibus, quae in illis genitivis geminatae essent, una modo eaque longa mature profecta est. Quae loquendi ratio quamquam valde usu increbuit, tamen altera primaria non plane obsoleverat. Errat enim Bentlejus, qui exempla genitivorum, in ii exeuntium apud antiquiores poëtas nulla invenire ait. Vide *Museum der Rheinisch-Westphäl. Schulmänner Bd. 1*, 2. pg. 61. Apud Ciceronem vero, cui genitivos in i finitos Ellendtius Praefat. in Brut. pg. XIII. magna constantia tribuit, adeo normam desiderari, ut eadem nomina isdem locis in codicibus aliis aliter caderent aut in uno libro varie scripta non raro legerentur, Freundius ad Cic. Milon. I. 1, tam copiose tamque docte demonstravit, ut mirari possis, si quis hanc formam Ciceroni etiamnunc omnino tribuere animum induxerit. Si autem mecum perpendo, quae viri docti monuerunt neque id animo praetermitto, a Romanis vocales non facile geminatas fuisse, formam breviorem longiore multo magis usitatam fuisse concesserim. Licet igitur omnibus locis eam restituere, quibus librorum auctoritate vindicatur. Quamquam ne libri quidem hac in re satis idonei testes haberi debent, qui multa contractionum exempla praebent, quae Romanorum auribus certe fuerunt aliena. Postquam vero Romani non ita multum auribus dare, quam praecepta grammaticorum sequi coeperunt, qui rationem artis quandam vocis suavitati praeferrent, primariam illam genitivi formam primum literis, deinde voce ita consignarunt, ut brevior non plane obliteraretur. Cf. Kritz Prolegom. ad Vellej. pg. CXXII.

de re publica. Sic liber omnibus fere locis inscriptus est, quibus vel ab ipso Cicerone (Brut. V. Nam illos de re publica libros edidisti. Tusc. I, 22; de Divinat II, 1; de Leg. II, 10; de Off. II, 17) vel ab aliis scriptoribus (Senec. Ep. 108; Plin. Hist. Nat. Praefat.; Lamprid. Alex. Sever. 29, Augustin. de Civit. Dei II, 10, 9, XIX, 21. Lactant. De Opific. Div. 1,) laudatur. Aristides Quint. de Music. II pg. 69 ἐν τοῖς Κικέρωνος τοῦ Ῥωμαίου πολιτικοῖς. Itaque scriptum Suetonii, de quo supra diximus, περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας fuit. — Nec vero hic praetermittenda eorum fabula est, qui in deperdito libro Walachico quondam hos libros de re publica ad Atticum inscriptos fuisse narrant. Cf. Michael ab Isselt Hist. sui temp. pg. 736, Mueller *Septentrionalische Historien* ap Muennich. pg. 78. Qua de re supra jam diximus.

G. Duelius. Sic Cod. — De praenomine G. vide Schneider *Elementarlehre Bd. 1*, pg. 232. Itaque bene p. Planc. 25, §. 60 Ernestius C. restituit, plurimorum testium auctoritate fretus (Polyb. I, 21, Liv. Epit. 17, Eutrop. II, 10, Aurel. Vict. 38), cum alii P. scriberent. — Ernestius Clav. Cic. Ind. Hist. s. v. „Dicitur et Duellius et Bellius. Item Billius.“ Idem Not. T. I. pg. 576 „(Duellius)

In scriptura est archaïsmus pro Duillius. Deinde quia clarum est, esse intelligendum eum, qui primus classe vicit Carthaginienses, scribendum fuit C. Duellio atque sic edidi.“ Quod quomodo nobilissimus vir judicaverit, equidem perspicere non possum. Num Duellios putavit superiores homines, Duillios autem recentiores quosdam appellatos esse? Quod si statuit, quo tempore mutationem hanc factam arbitremur? An vero unam nominis formam aetate Ciceronis exstitisse judicavit, postea vero duas in consuetudinem venisse, quae a librariis saepenumero confunderentur? Antiquam esse formam Duillius, cum ex usu scriptorum Graecorum, tum ex fastis Capitolinis intelligimus. Sigon. ad Liv. II, 58; Drakenb. ad l. eund; Tschuck. ad Eutrop. II, 20 pg. 109. Nec dubitari potest, quin is hoc nomine sit appellatus, qui una cum L. Papirio Crasso consulatum gessit. Cic. ad Fam. IX, 21, 2. Nam K. Duilius in Fastis Consularibus appellatur. Cf. Orell. ad Cic. l. c.; Ernest. Not. T. II., pag. 74. Attamen Cic. Orat. 45. „*Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? Nam ut duellum bellum et duis bis, sic Duellium eum, qui Poenos classe devicit, Bellium nominaverunt, cum superiores appellati essent semper Duellii.*“ Unde Ciceronem videmus cum superiores homines, tum nobilissimum victorem Duellios vocasse. Simile est, quod docet Quint. de Instit. Orat. I, 4 „*Sed b quoque aliam vim dedimus aliquando, unde Burrhus et Bruges et Belena. Nec non eadem fecit ex duello bellum, unde Duellios quidem dicere Bellios ausi.*“ Itaque Ernestius recte hoc nomen Orat. p. Planc. 25, 60 restituit, idemque id ipsum de Senect. 13 probare debuit, si vel dictum Ciceronis spectare vel constantiam in ejusmodi rebus servare voluisset. Neque enim libros deesse, qui de Senect. l. c. formam Duellii habeant, Facciolatus et Gernhardus et Kleinius ap Lambin. Emendat. Tullian. pg. 543 testantur. Sed tamen Gernhardus et Madvigius „*Duellium*“ scribunt. Ceterum vide Schneider. *Elementarlehre* pg. 228.

incendium belli. Sic. Cod. 2. m.; sed 1. m. *e belli.*

avolsum. Antiquiorem hanc formam codex locis non ita multis habet (Cf. Maj. Consp. Othogr. pg. 354), cum alii eam Ciceroni omnino reddant. Cf. Ellendt. Praefat. ad Cic. Brut. pg. XV; Freund. l. c. pg. 14 etc.

isdem Sic Cod. 2 man.; 1 man. *sdem* per aphaeresin habet. — Cic. Orat. 47, 157.

„Idem campus habet,

inquit Ennius: et

In templis isdem

probavit. At, eisdem, erat verius: nec tamen, eisdem, opimius, male, sonabat, iisdem. Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret.“ Non opus fuit, ut Cicero verbis Enni usum loquendi adeo vulgarem declararet, ut omnes poëtae, qui quidem aetati nobilissimi oratoris erant conjuncti, duabus syllabis pronomen isdem efferrent. Madvig Lat. Gr. 12, 84, 3. Nec vero is ipse quidquam scripsisse putandus est, quo aures ejus offenderentur. Itaque recipiamus contractum pronomen oportet, ubicunque in veteribus libris invenitur. Cf. Lambin. Emendat. Tullian. pg. 256; Orell. ad Cic. Ep. ad Div. XII, 15, 5, XV, 1, 2, XVI, 24, ad Q. Fratr. I, 2, 5; Ellendt. l. c.; ad Cic. de Orat. II, 7, 30; Freund. l. c. pg. 23, not. 19.

qui sunt procul ab aetatis hujus memoria. Sic Cod. Sed M. scripsit: *qui sunt haud procul.* At in Additam. et Emend. pg. 334 idem: *„Particulam haud, quam codex desiderat, haud scio an satius sit omittere?“* Quod etsi is ipse correxerat, tamen Schutzius et Lehnerus non dubitarunt illam emendationem recipere. Steinackerus vero illud *haud* e textu quidem rejecit; in adnotationibus vero: *et quoniam sunt non procul,* scribendum esse confirmavit. Atque in hac sententia permansit Weissenborn. in Jahn. *Neue Jahrbücher für Philologie und Pädog., Bd. LII*, pg. 150. — Postquam Cicero praeclarissimos viros, qui gravissimis in rebus non defuissent publicae saluti, nominatim commemoravit, eorum, qui laudari hoc nomine possent, innumerabilem ait multitudinem esse. Erant autem duo eorum genera. Namque alii Ciceronis aequales idemque meritis notissimi erant, quibus rem publicam sustentavissent. Quos nec potuit propter ingentem numerum neque debuit in tanta nominis celebritate appellare. Sed multi non minoribus illustres laudibus juniores illi Catone, antiquiores Cicerone idemque tametsi historicis, quam vulgo notiores, tamen haudquaquam erant obscuri: quos cum ea de caussa omittere posset, silentio praetermisit, ne civium quenquam, majoribus neglectis, offenderet. Cic. ad Quint. Fratr. III, 5: *„Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam.“* Brut. 65, 72. Atque hos dicit procul ab illius aetatis memoria esse. Unumquodque enim spatium sive id magnum est sive parvum, vocula procul significatur, quamquam hoc majus plerumque intervallum locorum exprimit. Ut Nepos Pausan. 5 *„Cujus (Pausaniae) mortui corpus cum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium essent dati; displicuit pluribus et procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus.“* Id autem Thucydid. I. 134, ubi narrat: ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι. Quos quidem locos cum inter sese conciliandos putaret Fischerus, scripsit: *non procul ab eo loco,* id quod confirmari fide excerptorum et scholiorum videtur, quae Rothius ex chartaceo codice Patavino edidit. In his enim ita legitur locus, ex Cornelio translatus (ap. Roth. pg. 193): *Corpus non procul a templo conditum.* Propter lectionis discrepantiam Cornelium vituperat Rinckius Prolegom. 81. Nec prudentius egit Bremius, qui alium auctorem Nepoti hoc loco ante oculos fuisse opinatur. Sed dissensionem hanc Poppo ad Thucyd. nostro modo explicat; nam particulae procul eam vim subjectam esse putat, quam habeat ap. Virg. Aen. X, 835. Itaque ea, quae apud Pomponium Melam. I, 6. *„Cirta procul a mari nunc Sittianorum colonia“* legimus, ab illis Sallusti Jugurth. 21, 2: *Interim haud longe a mari prope Cirtam oppidum ultriusque consedit,* non ita discrepant. Quae cum ita sint, Servius ad Virgil. Aen. III, 13 (Terra procul: *Procul, quasi, inquit, porro ab oculis. Unde potest satis longe significare et non valde);* Eclog. VI, 16 etsi vim vocabuli recte significat, originem falsam indicare videtur. Vide Perizon. ad Sanct. Minerv. I, 16 pg. 183; Ruhnken. ad Terent. Eun. III, 4, 10. Hecyr. IV, 3, 1.; Heinrich. ad h. l.; Wuestemann. ad Horat. Sat. II, 6, 105; Kritz. ad Sallust. l. c.; Schulz. Synon. pg. 343. Est autem ap. Cic. de Legg. II, 22. *Eodemque ritu in eo sepulcro, quod procul ad fontis aras, regem nostrum Numam conditum accepimus.* Sic in plurimis legitur atque optimis et codicibus et editionibus. Sed tamen duo libri Ambrosiani, quorum unus quarti decimi, alter quinti decimi seculi est, habent *quod haud procul.* Ac Lambinus quidem, vir egregius,

non procul scripserat (Emendat. Tullian. pg. 506), quod illi libri aliqua ex parte confirmant, in quibus est *haud procul.* Negationem haud Madvigius Opusc. T. II, pg. 157 propter totam loci demonstrandi rationem postulat, id quod Bakio pg. 559 non plane probavit. Commemoremus denique scripturam Franc. Orioli, hominis Romani, quam etsi Osannus probavit, nos omnino sequi non possumus. Qui cum membra orationis sic divisit: *Omitto innumerabiles viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt et qui sunt procul ab aetatis hujus memoria; commemorare eos desino* — sententias relativas, *quorum singuli*.... et, *qui sunt procul* — ad *innumerabiles viros* pari modo retulit, cum prior tantum objectum definiat, altera vero tam ad nomen illud pertineat, quam ad relativam enunciationem, quae antecessit. Idem verbo commemorare vim quandam attribuit, cum nullum sit ei pondus. Perturbavit autem omnem dicti ornatum, in quo et copiam orationis insignem mirari possis et praeclaram dicendi concinnitatem. Osannus vero neglexit loci, quem adfert, similitudinem p. Sext. 48, 101. *Ut vetera exempla, quorum est copia digna hujus imperii gloria, relinquam, neve eorum aliquem, qui vivunt, nominem.* —

Caput II.

quod non ab his partum confirmatumque sit. Voculam *non*, in codice omissam, sic optime restituit Majus, idque ceteri editores praeter Moserum probarunt, qui: *quod ab his non ortum confirm, sit,* emendavit. Sententiam vero quisque negantis esse facile senserit. — Atqui duo sunt loci, quos in relativis enuntiationibus negatio possit tenere, unus, cum verbo proxime antecedit, alter, quo pronomini arctissime adnectitur. Grysar *Theorie des Latein. Stiles* pg. 647. Atque illa quidem ratio cum primis atque gravissimis praeceptis convenit, quae de vocabulorum ordine audire consuevimus. Si vero vis totius sententiae tollitur, quae relativa est, eaque alteram insequitur, qua item negatur aliquid esse, plerumque fit, ut particula negans, primo, quo potest, loco collocata, cum pronomine in unum vocabulum quodammodo coalescat. Itaque in ejusmodi elocutionibus plerumque voce quin utuntur, quam ex qui et ne conjunctam esse patet. Enimvero eadem ratio efficit, ut altera quoque vocula pronomen relativum sequatur. Exempla, quorum ingens est multitudo, nonnulla attulisse juvabit. Cic. de Divinat. I, 6: „*Quae est autem gens aut quae civitas, quae non aut extis pecudum aut .... moveatur.*" II, 2. *Ut nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis literis illustratus pateret.* Quod cum fit, caussa non adest, cur haec verborum collocatio mutetur, etsi ex verbo sententiae, quae habet negationem, infinitivus pendet isque vel paucis vocibus vel nullis a negatione separatus est Cic. ad Div. II, 6. *Nulla est gratia tanta, quam non capere animus meus in accipiendo possit.* Laet. 6. *Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti.* Cic. de Divin. I, 1. *Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam neque tam immanem tamque barbaram, quae non significari futura et a quibusdam intelligi praedicique posse censeat.* Qui quidem loci cum non modo propter con-

sensum librorum ad praeceptum, quod proposui, confirmandum idonei, sed etiam tuti ab editorum religione videantur, alios inepta vel librariorum vel interpretum temeritas corrupit, qui in hujusmodi dictis negationem cum verbo finito potius, quam infinitivo jungere volebant. In quo non animadverterunt, negationem non infinitivo, cui antecedere videretur, sed pronomini relativo voce conjungi. Ut Cic. de Divinat. I, 7. *„Nihil est autem, quod non longinquitas temporum, excipiente memoria, prodendisque monumentis, efficere atque assequi possit.“* Plurimi libri hanc lectionem vulgatam habent; sed Ernestius, aliorum auctoritate fretus, *assequi non possit,* scripsit, propterea quod hoc usitatius esset atque elegantius. Sed de usu plura proposui; elegantiam vero in eo agnoscere neque possumus nec volumus. Cf. Wopkens. Lect. Tullian. pg. 321. Caesar de Bell. Gallic. IV, 7. 7. *reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.* Hunc verborum ordinem et Oudendorpius tuetur et Schneiderus, qui hac de re optime disputat. Quamquam libri nonnulli *„superare non possint“* habent. Item Cic. Tusculan. III, 16, 34. *Nihil esse, quod accidere non possit* Dawesius, Tregderus, Moserus, Klotzius (*Nachträge und Berichtigungen* pg. 134) receperunt ex cod. Reg. 1. — Omissam autem in libris esse saepe negationem, Orellius ad Cic. ad Div. II, 15, XI, 20, XV, 4, 12 etc.; Lambinus Emendat. Tullian. pg. 5, 441, 475, 532, 533; Zumpt. ad Verrin. Ind. not. s. v. *non* docent. Quae quum ita sint, cum Bygomio Krarupio Observat. Crit. pg. 4. „quin“ corrigere non opus est, quamvis Madvigius Opusc. T. I. pg. 143 amico sit assensus.

turpitudinis. Cod. turpidinis habet. Quod vocabulum Majus quamquam nullo alio loco apud Ciceronem inveniri vidit, tamen idcirco non dubitavit servare, quod apud Tertullian. de Coron. Mil. XIV. in libris nonnullis idem legeretur. Secutus est Majum de editoribus nemo praeter Schutzium; nam ceteri H. St. M. N. Z. turpitudinis reposuerunt. Reisig. *Vorlesungen* pg. 99 et Krebs. Antibarb. pg. 781. turpitudinis pro turpidinis legi maluerunt; neque hoc vocabulum Freundius in Lexicon T. IV. pg. 842 recepit. — Ac fateor quidem, in hac quaestiuncula non satis certam esse fidem librorum, in quibus voculae, in illas syllabas cadentes, nonnunquam sint inter se commutatae. Ut Cic. de Orator. III, 25, §. 99. *dulcedine* ab editoribus scriptum est, ubi, auctore Nonnio, *dulcitudine* legere debemus. ibid. 40. *dulcedo* vulgatum videmus, cum liber Guelph. *dulcitudo* habeat. Apud Cic. de Off. I, 30 omnes fere libri *turpitudini* habent; sed in codice Bonnensi *turpidini* reperitur. Klein. ad Lambin. Emendat. Tullian. pg. 520. Similiter ap. Senec. de Benef. VI, 32, 2 *(quia quarundam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit)* in codice Vratislaviensi *turpido* legitur. Cf. Fickert ad h. l. Ac ne nunc quidem operas ab hoc errore alienas esse, ex Fridemann. Chrestom. Cic. V. I. P. I. pg. 128 intelligimus, qui locum Ciceronis Tusc. Disp. III, 32 sic edendum curavit: *Quum se Alcibiades afflictaret lacrimansque Socrati supplex esset, ut sibi virtutem traderet turpidinemque depelleret.* Quod num mutare ipse voluerit, cum omnino sequatur Orellium, valde dubitamus. Sed Heinrichius ad h. l. gravissme vituperat Majum, quod lectionem codicis servaverit. *„Nam monstrum vocis,* inquit, *est illud, sive scripserit Tertullianus sive non scripserit...... Jam vero omnes hoc genus formae sunt substantivorum, quae a verbis ducuntur et ab adjectivis fieri*

omnino nequeunt." Sed haec sententia ut in plurima exempla cadat, quae ipse collegit, tamen in alia non ita facile convenit. Unde enim dulcedinem dictam putamus? Verbum dulceo non exstat. A quo verbo gravedo est ducta? Sic facilius fortasse formas nominum explices, quae in syllabas edo desinunt, cum vocalis e inter extremam syllabam ac primariam vocis partem intercesserit; sed praeceptum eorum, qui haec nomina ab adjectivis ducta putant (Krueger T. I. pg. 327, 13), non ita refellamus oportet, ut opinionem Heinrichi comprobemus. Quid autem est, quod interpretes unum Tertulliani exemplum ad lectionem codicis probandam attulerunt, cum duo apud Lucretium inveniantur. Is enim III, 1007.

Sed Tityos nobis hic est, in amore jacentem
Quem volucres lacerant atque exest anxius angor,
Aut alia gravis scindunt turpedine curae.

VI, 24. Veridicis igitur purgavit pectora dictis
Et finem statuit turpedinis atque timoris.

Bygom. Krarup. l. c. pg. 9. Sic enim Wakefieldius et Eichstadius ediderunt, cum codices quidam illic *turpidine*, hic *turpidinis* haberent. Nimirum haec dicta lexicographi silentio praetermiserant, qui quidem, ut nobis homunculis, sic etiam doctissimis quibusque doctrinae copiam benigne recludunt. Si vero vocabulum, quod rarius legitur, et apud antiquiorem scriptorem invenitur et a recentiore quodam usurpatum est, dubitare non licet, quin id nunquam in Romanorum sermone plane obsoletum fuerit.
